



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

Concilium Agrippinense, In Qvo Evphratas Coloniae Agrippinae episcopus,
quod Christum Deum negaret, haeresis damnatus atque exauctoratus est,
anno Christi CCCXLVI. Iulii papae X. Constantis Augusti ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

MPP.

gnita
rent,
t, &
ta esse
m qui

E I.

Demo-
signati,
um ven-
s & ca-
rtiri pe-
gregati,
b noui-
co ma-
picione
petran-
ofiteri,
ntehac
hodoxi
actenus
uo re-
nt. Ad
meatus
rbulen-
nissent,
turbaf-
dem &
is cele-
tutam-
eptam,
em hoc
d Con-
rum in-
orienta-
perator,
donius,
epistola
resicam

IULIUS C. AGRIPPINENSE. CONSTANTIVS IMP. 695
P. I. CONSTANS

ANNO CHRISTI 344. *sententiam nolissent damnare, de Concilio iratis animis exierunt? Ho- rum si fas est sententiis inharere, quale sit, aut quid habeat commodare con- sensum, equitas & clementia tua poterit aestimare, &c. Vide Baronium anno 344. num. 4. 5. & 6.*

ANNO CHRISTI 346. **CONCILIVM AGRIPPINENSE.**
IN QVO

EUPHRATAS COLONIAE AGRIPPINAE episcopus, quod Christum Deum negaret, haereticus damnatus atque exauctoratus est, anno Christi CCCXLVI. Iulii papae X. Constantis Augusti in Italia IX. in Gallia V.

POST consulatum Amantii & Albinii, IV. Idus Maias, cum confedissent episcopi in Agrippinensium ciuitate, id est Maximinus Treuirorum, Valentinus ab Arelato, Donatianus Cabillonorum, Seuerinus Senonum, Opratianus Tricassium, Iesses Nemetum, Victor Vangionum, Valerianus Autifiodorensium, Simplicius Augustodunensium, Amandus Argentinensium, Iustinianus Rauricorum, Eulogius Ambianorum, Seruatius Tungrorum, Dyscolius Rhemorum: consentientibus & mandantibus Martino episcopo Moguntiacensium, Victore Mediomatricorum, Desiderio Lingonicæ, Panchario Vesontiensium, Sanctino Articlaurorum, Victorino Parisiorum, Superiore Neruiorum, Mercurio Suesionum, Diopeto Aurelianorum, Eusebio Rothomagensium: cumque recitata fuisset epistola plebis Agrippinensium, sed & omnium castrorum Germaniæ secundæ, de nomine Euphratæ, qui Christum Deum negauit;

† Virodunum, cuius antistes Sanctinus. Urbem clauorum olim dictam fuisse docet Bercharius in hist. episc. Virodunensium.

Maximinus episcopus dixit: Quia voluntas Dei Patris, & Domini nostri Iesu Christi, voluit nos iuxta postulatam fratrum ad hoc Agrippinensium oppidum conuenire, propter perditum & blasphemum Euphratam, quem omnis mundus iam ore Domini cognouit esse damnatum; qui in Spiritum sanctum eatenus blasphemauit, quod Christum Deum negat: hanc mediocritas mea sententiam fert, sicut Dei & Domini nostri Saluatoris ore prolata est dicentis: *Omnia peccata & blasphemiae remittuntur hominibus: qui autem blasphemauerit Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque hic neque in futuro, sed reus erit*

Matth. 12. Marc. 3. Luc. 12.

æterno iudicio. Ideo episcopum eum manifestum est esse non posse. ANNO
CHRISTI
346.

Valentinus episcopus dixit: Quia Euphrata Christum Deum negat, consentio eum episcopum esse non posse; qui nec laicam debet communionem accipere.

Donatianus episcopus dixit: In pace negavit Christum Deum: & ideo constat Euphratam non esse catholicum.

Seuerinus episcopus dixit: Cum constet Euphratam subscriptione fratrum plurimorum in Spiritum sanctum blasphemasse negando Deum Christum; & ego consentio eumdem, iuxta euangelica præcepta, iure ab episcopatu esse deiectum.

Optatianus episcopus dixit: Et ego sentio Euphratam in episcopatu permanere non posse, qui in Spiritum sanctum blasphemavit negando Christum Deum.

Iesses episcopus dixit: Non solum epistolis omnium ecclesiarum, quæ audierunt Euphratam negare Deum Christum, sed quod ego ipse auribus meis audiui sub præsentia Martini consenioris nostri, & Metropii presbyteri, & Quintini presbyteri, & Victoris diaconi, ideo consensi illum iure esse depositum.

Victor episcopus dixit: Quoniam palam factum est, & probatum, Euphratam immemorem sacramenti cælestis blasphemasse in Spiritum sanctum, negando Christum Deum Dei filium, & multis criminibus coarguitur, quod episcopum nullo modo decet, consentio eum esse depositum.

Valerianus episcopus dixit: Etsi non omnes conseniores, hic apud Agrippinam Dei voluntate qui sumus adunati, conuenissemus, suffecerat a quinque episcopis Euphratam blasphemum, quia Christum Deum negat, pro meritis suis sententiari, eodem iure esse depositum. Nunc autem in præsentia maiora cognouimus: multorum etiam carorum laicorum subscriptione manifestum est, quia primordiale Dominum & Deum nostrum negat: cum per vniuersos prophetas manifestetur illum ante mundi constitutionem fuisse cum Deo patre omnipotente: & quia omnes cecinerunt illum venturum, & pati pro totius mundi salute, sicut ipse compleuit. Quapropter Euphratas falsus doctor, qui nudum tantum hominem

ANNO
 CHRISTI
 346.

minem asserit Christum, recte omnium confacerdotum
 voce damnatus est. Ideo consentio, vt si quis epistolas
 ipsius per catholicam ecclesiam attulerit, communionem
 priuetur: eundemque censeo iuste esse depositum.

Simplicius episcopus dixit: Esse episcopum non posse
 Euphratam consentio, quia Christum Deum negat.

Amandus episcopus dixit: Siquidem in presentia, quan-
 do Euphrata a quinque episcopis sententiam accepit,
 me inter ipsos fateor esse consentaneum, qui epistolis
 meis ad eundem deponendum consensi, secundum fal-
 sam doctrinam ipsius, qui Christum Dominum Deum
 negat, merito in ipsum sententiam collatam esse constat:
 ad cuius damnationem consentio.

Iustinianus episcopus dixit: Ex epistola clericorum A-
 grippinensium, nec non & fratrum per singula castra con-
 stitutorum, quorum epistolae & subscriptiones tenentur,
 cognouimus Euphratam esse blasphemum, qui Chri-
 stum Salvatorem Dominum nostrum Deum esse negat.
 Quapropter & ego consentio illum ab ecclesia catholi-
 ca esse damnatum.

Eulogius episcopus dixit: Diabolus qui ab initio fuit,
 qui perit primus, & ceteros perdidit, ipse hodie in Eu-
 phrata persistit. Nam & idem multos secum trahen-
 do decepit: qui tamen meminisse debuerat Apostolum
 praedicasse, qui ait: *Et si angelus descenderit de caelo, & vo- Gal. 1.*
bis aliter praedicauerit, quam vobis est praedicatum, anathema
*fit. Quare Euphrata falsus doctor, legisque subuersor, me-
 rito omnium episcoporum sententia damnatus est, qui
 benedictum Dominum & saluatorem nostrum, aucto-
 rem lucis & vitae, Iesum Christum Deum negare ausus
 est. Et ideo pusillitatis meae consensu, vt meretur, dam-
 natione percussus est.*

Seruatus episcopus dixit: Quid fecerit, quidve do-
 cuerit Euphrata pseudoepiscopus, non opinione sed ve-
 ritate cognoui, pro finitimi loci coniuncta ciuitate:
 cuique publice & domestice obstiti saepe, cum ille Chri-
 stum Deum negaret, audiente Athanasio episcopo Ale-
 xandriae, & presbyteris, & diaconibus plurimis. Et idcir-
 co censeo Christianis episcopum eum esse non posse, quia
 Deum Christum sacrilega voce negauit: neque illum

Christianum esse iudicandum, qui eiusdem confinitimus fuerit inuentus. ANNO CHRISTI 346.

Dyscolius episcopus dixit: Qui Christum Deum negat in ecclesia non potest permanere, dicente Domino nostro Christo: *Qui me negauerit coram hominibus, & ego negabo eum coram Patre meo qui est in caelis.* Et ideo Euphratam inter ceteros fratres meos arbitror, & rectissime censeo, esse episcopum non permitti.

Item ex * epistola Diopeti episcopi Aurelianorum *: * sententia
* sed tamen sermonibus istis:
Inter omnium voces Euphratas damnationi tradatur, atque puniatur, qui Christum negat esse filium Dei: cuius falsa machinatio multis innocentibus attulit prauitatem. Sed necesse est, vt ipse veterator, qui tantum molitus est scelus, caelesti plaga feriat.

QVÆDAM DESVMPTA
EX HISTORIA BEATI SERVATII
episcopi Tungrensis, Synodum Agrippinensem
seu Coloniensem concernentia.

IN eodem quoque loco (*Traiectensi videlicet ciuitate*) reuelante sibi Spiritu sancto, præcognouit B. Seruatius quæ superuentura erant subteriacenti sæculo: conuocatisque fratribus, prædixit barbaricas Hunnorum phalangas de puteo abyssi suæ progressuras fore, orbemque rebellis & criminosi populi, præcipue per Gallias, nominatim urbem Octauiam, depastum iri. It rumor & pavor per populos & prouincias. Rogatur sanctus in Franciam aduenire Tricassinam. Assensit sancti benignitas, conscenditque obuiam illi omnis sacerdotalis dignitas. Appellatur exponere quæ nouerit. Exoratus exponit. Occupat extemplo audientes horror, & mentis hebetudo, timorque & tribulatio. Initur Concilium: placuit supplicationes dirigi Romam ad principem apostolorum, quæriturque legatus. Eligitur ergo primum ad hoc opus Exuperius Tolofanus episcopus. Sed illo multipliciter excufante, adposcunt voce vnanimi Seruatium legationi. Equipollentissimum ab omnibus probatur continuo, vt qui nuntius ad populum electus fuisset a Domino, ad apostolorum principem interpellator dirige-

ANNO CHRISTI 346. retur a populo. Superatus autem vniuersorum instantia, vix tandem acquieuit. Hortabatur igitur prædicari ieiunium, & corrigi ausus indisciplinatorum. Sed neque sic expeditum satis iter suum iudicat, nisi Euphratam Coloniorum pseudopraesulem, quem post tergum suum ecclesiae nociturum timuit, ecclesiastica seueritas iudicialiter discussit. Illico ergo * procedunt vniuersali principum decreto veredarii veloces Agrippinam, cogitur Coetus clericorum, ite senatus ad Synodum. Pontifices postremo, comitante singulos aliquanta mole populorum, Maximinus Treuirorum, Valentinus Arelatensium, Donatianus Cabillonorum, Seuerinus Senonum, * Iesses Optatianus Tricassium, * Iessius Nemetum, Victor Vangionum, Valerianus Autisiodorensium, Amandus Argentoratensium, Seruatius Tungrorum, Simplicius Augustodunensium, Iustinianus Rauricorum, Eulogius Ambianorum, Dyscolius Rhemorum, Diopetus Aurelianorum, procedunt tempore statuto ad Concilium. Iudicantibus autem ibi quibusdam debere correctionem Euphratae indici, non tamen oportere virum tam clara sede subito deponi; aliis sane praepaudentibus, ne ex hac venia causa praestaretur scelus hoc dilatandi, inter hos illosque sententia Seruatii mediaestini censetur huiusmodi: Euphratam, qui Christum saluatorem meum negauit esse Deum, ego nego esse posse episcopum, cum quo saepe (Athanasio Alexandrino cognoscente) contendi, diraeque conscientiae peccus inflexibile deprehendi. Cuius & poenitentia, si qua est expectanda, potius hanc sentio inter laicos quam inter episcopos agendam. Nulla mora, singulis pontificibus orationes similes ad eandem normam dictantibus, Euphrata deordinatur, & Seuerinus, qui tunc ex voluntate Dei aderat, plenarie catholicus & sanctus in locum eius exaltatur.

NOTÆ.

* Concilium.] Causa indictæ Synodi ista erat, vt Euphrata cum Photino hæresarcha diuinitatem Christi negans sede episcopali deponeretur, aliusque in locum eius subrogaretur. Photinum hæresarcham, patria Ancyranum, Sirmiensem episcopum, docuisse Filium Dei hominem tantum esse, testatur Epiphanius hæresi 71. Euphratam vero eandem hæresin sectatū fuisse, acta huius Synodi aperte indicant. Vnde, quod a quibusdam scribitur, Euphrata auctore, *Concil. Tom. 2.*

Causa Concilii Agrippinensis. Photini & Euphratae doctrinae.

Ttt ij

M P P.
 nitimus ANNO CHRISTI 346.
 m negat
 ino no-
 ego ne-
 hratam
 cenfeo,
 orum * : *senten-
 tia*
 adatur, *sed in-
 men ser-
 monibus
 illis :*
 Dei: cu-
 prauita-
 m moli-
 T II
 ciuitate)
 B. Serua-
 lo: con-
 norum
 orbem-
 Gallias,
 amor &
 ctus in
 benigni-
 is digni-
 s expo-
 ntis he-
 placuit
 ostolo-
 ad hoc
 multipli-
 ium le-
 ur con-
 t a Do-
 dirige-

Arianam hæresim Coloniae propagatam, ideoque synodali sententia condemnatum, episcopatu abdicatum esse, cum historia & actis non conuenit: nisi dicas, Arianos tenentes filium Dei creaturam esse, occulte eandem cum Photino hæresim docuisse: atque ita Euphratam, Photinum sectando, Arianæ factionis sectarium dici posse. Vide Baronium anno 357. num. 4. & 5.

ANNO
CHRISTI
346.Agrippina
quæ & qua-
lis vrbs?A quo con-
dita?
Quomodo
nominata?Colonia
Italici iuris.Colonia
a quo &
quando ad
fidem con-
uerfa.Sigillum
quale.

^b *Agrippinense.*] Agrippina colonia, ad citeriorem ripam Rheni sita, Vbiorum sedes olim fuit. Qui cum Sueuorum incursionibus grauissime exagitarentur, maioris securitatis gratia Rhenum transgressi, post urbem ibidem, quam Tacitus opidum Vbiorum appellat, exstructam, a Marco Agrippa patre Germanici & auo Agrippinæ in fidem accepta est, auctore Tacito libro 12. Nomen Coloniae Agrippinæ, & Claudiæ Agrippinensis, sortita est de nomine Agrippinæ Germanici filia & imperatoris Claudii coniugis. Hæc enim cum Antistio & Suillio consulibus, anno Christi nimirum 52. Augustæ titulo aucta esset, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, inquit Tacitus lib. 12. in opidum Vbiorum in quo genita erat (agente illic cum exercitu Germanico patre) veteranos coloniamque deduci imperat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. ita Baron. prædicto loco. Lipsius in notis ad Tacitum. Ab initio suæ structuræ eam Romanæ vrbs & imperii fuisse talem coloniam, quæ eodem iure, iisdem moribus vteretur, eadem forma regiminis gubernaretur, manifestissimo testimonio Pauli libro 10. de censibus probatur, vbi ostensurus, quo iure Agrippinensis colonia deducta fuerit, hæc scribit: *In Germania inferiore Agrippinenses iuris Italici sunt.* Et recte: instar enim Romanæ vrbs Colonia suos semper habuit consules, proconsules, quæstores, censores, variosque variarum rerum ac tribuum tribunos atque præfectos: baculus ille candidus, rectus & inflexibilis, quem teneræ ætatis puer consulem comitans gestare solet, fascium loco receptum fuisse, vulgo existimatur. *Si tribuum* (inquit Georgius Braunius in teatro de Colonia scribens) *ordines, si ciuilem senatorum auctoritatem, si denique capitoliū instar Romani adificatum obserues, quasi effigiem & viuum quoddam simulacrum Romana vrbs hanc Agrippinensem videbis republicam, vt non immerito natiuo quodam iure Romanorum dicatur.*

Vtraque ergo initio idolorum cultrix per apostolum Petrum ad veram Dei vnus fidem & religionem conuerfa fuit: eamque quam Romæ Petrus, Coloniae Maternus Petri discipulus prædicauit, hæcenus incorruptam & illæsam Dei gratia tenuit, adeo vt non immerito maius sigillum huius ciuitatis D. Petri sedentis altera manu duas clauas, altera libro tenentis imaginem repræsentet, cum hac circumscriptione: Sancta Colonia Romanæ ecclesiæ fidelis filia. Gereon cum trecentis octodecim, Mauri sexaginta supra trecentos, Vrsula cum vndecim millibus virginum martyrium sustinentes, sanguine suo hic pro Christi nomine effuso urbem consecrarunt. Hac vrbe sacra corpora trium sanctorum regum, Felicis, Naboris, Gregorii Spoletani, Hippolyti, Albini, Agilolphi, aliorumque plurium

ANNO
 CHRISTI
 346.

martyrum, confessorum ac virginum reliquæ sacræ continentur. Hinc in commemoratione suorum patronorum in ea prosa quam B. Mariæ Virginis ad gradus præpositum composuisse scribit Cornelius Sculthingius in bibliotheca ecclesiastica, sic concinit:

*Gaude felix Agrippina, sanctaque Colonia,
 Sanctitatis tuae bina ferens testimonia.
 Postquam fidem suscepisti, ciuitas pranobilis,
 Recidua non fuisti, sed in fide stabilis.*

Hanc urbem Romano imperio Childericus rex Franciæ ademit: Otto I. eandem Romano imperio restituit. Deinceps potentior, amplior & nobilior effecta, inter vrbes imperiales liberae & Hanseaticae relata, sessionis & dignitatis primatum fortita est. Prima eius forma, quemadmodum & urbis Romæ, quadrata fuit; cuius iam adhuc muri, turres ac fossæ plerisque in locis videntur. Mœnibus deinceps semilunaribus ampliata, turribus LXXXIII. desuper ædificatis, post admirabilem illam & stupendi operis D. Petri basilicam, X. collegiata, XVIIII. plebanica templa, XV. cœnobium virorum, XXII. monialium, triginta sacella, aliaque plurima loca diuino cultui dicata circumscribit. Insignia urbis sunt tres aureæ regum coronæ in campo rubro seriatim dispositæ: scutum est argentei coloris, vndecim guttulas sanguineas 11000. virginum patronarum indices continens. Propter tria magorum corpora anno Domini 1164. accepta, tres coronas vsurpat. E regione Coloniam versus orientem est opidulum quoddam Tuitium appellatum, quod a Tuiscone primo Germanorum parente exstructum viri doctissimi asserunt, ex etymologia nominis, vt puto, coniectantes. Verius est, hoc munimentum esse illud, quod Constantinus maximus imperatoris Constantii filius pro militibus illic in tutelam Galliarum collocandis erexit. A quo præsidii loco Diuitenses milites, quorum Ammianus Marcellinus libro 27. meminit, nomen traxerunt: corrupte igitur Tuitium, vulgo *Deutz*, nominatur: quod melius Diuitense munimentum appellaretur. Rhenus hunc locum ab vrbe seiungit. Idem imperator, pro imperii & limitis ornatu, Colonia septimum orbis miraculum, pontem lapideum factu sic factis difficilem, vsui sempiterno destinatum, constituit. Hunc pontem Bruno archiepiscopus Coloniensis, Ottonis I. imperatoris frater, non ob latrocinia, vt Coloniense fabulatur chronicon, sed ne Franci orientales cum occidentalibus coniungi possent, circa annum Domini 962. deiecit. Nam ob imperium a Francis ad Saxones translatum, inter Saxoniam & Franciam domum non tantum ingens bellum exortum erat, verum etiam Lutetiam Parisiorum in Gallia Bruno cum Saxonibus inuaserat, spoliaque ingentia isthinc Coloniæ aduexerat. Ne ergo hanc cladem facilius Galli auxilio orientalium freti vliscerentur, ipsum pontem, quantumuis fere septimum orbis miraculum foret, Bruno archiepiscopus deiecit. Plura antiquitatum Agrippinensium hætenus incognitarum egregia monumenta, ex archiuis abditissimi

Colonia
 vrbs im-
 perialis.

Insignia
 urbis quæ

Cur tres
 gerat co-
 ronas.
 Tuitium
 vnde di-
 ctum, &
 a quo ex-
 structum.

Pons
 Rhenus
 lapis
 deus a quo
 constructus
 & deiectus.

mis magno studio & labore domini Stephani Broelmanni, Agrippinensis iurisperiti clarissimi, viri in persecutandis antiquitatibus Germaniæ diligentissimi, breui, vt spero, prodibunt. De vniuersitate Coloniensi scitu pulcherrima, docte, & sic satis fuse scripsit reuerendissimus D. Iacobus Middendorpius, eiusdem vniuersitatis theologus, iurisperitus ac philosophus doctissimus, in suo tractatu de celebrioribus vniuersi mundi academiis. Totam vero urbem reuerendus dominus Georgius Braunius, cuius non possum non honeste meminisse, vt graphice, ita vere descripsit. De electorali dignitate huius urbis archiepiscopali, a sede pontificia non sine magna urbis celebritate concessa, reuerendissimus & illustrissimus cardinalis Baronius anno Domini 99. Bellarminus libro 3. de translatione imperii capite 1. Nicolaus Serrarius libro 1. Mog. hist. capite 24. & sequentibus, scitu pulcherrima in lucem ediderunt. Hos, lector, si plura scire cupias, consule.

ANNO
CHRISTI
346.

Euphratas
an Arianus
fuerit?

In quo Euphratas.] Sunt qui, nescio qua ratione inducitur, Euphratam Arianæ hæreseos sectatorem, a Gothis Arianis intrusum fuisse existimant. Quam longe autem illi a veritate aberrerent, ex epistola Athanasii ad solitariam vitam agentes scripta, & ex Theodoro libro 2. historiæ capite 9. liquidissime constat. Vterque refert Euphratam Agrippinæ episcopum Sardicensi Concilio interfuisse, & ob præclaram nominis ac virtutis celebritatem omnium episcoporum iudicio dignum habitum fuisse, qui nomine totius Concilii vna cum Vincentio Capuano ad Constantium imperatorem Antiochiæ commorantem ablegaretur, petiturus ab imperatore, vt Athanasium, Marcellum, aliosque exules episcopos, Eusebianorum dolo ac fraude sedibus suis deturbatos, nunc vero vniuersalis Concilii sententia a calumnia absolutos, redire, suisque sedibus deinceps præesse non impediatur. Et ad hanc rem facilius impetrandam tales ablegarunt, quos Constantinus imperator commendatitia scripta ad fratrem epistola vere commendare posset. Verba Athanasii hæc sunt: *Misis a sancto Concilio in legationem episcopis Vincentio Capua, qua metropolis est Campania, & Euphrata Agrippina, qua est metropolis superioris Gallie, vt pro Synodi decretis imperator Constantius episcopos, quos ipse eiecerat, in suas sedes reuerti pateretur, & in eam sententiam a Constante pientissimo ad fratrem suum literis datis, quibus episcopos illi commendabat.* Ex quibus satis manifestum est, Euphratam principio sui episcopatus non modo non Arianum, sed neque hæreticum fuisse. Vt patres Concilii hominem turpissima nota infamiae iniustum, quem præsertim grauior quam Arii hæresis infamasset, quantumuis palinodiam recantasset, tam breui temporis spatio in pristinam sedem restitutum, & inter eximios sanctitate & doctrina viros Galliarum episcopos, qui Sardicensi Concilio interfuerunt, delegerint, sentire aut credere non possum. Probabile esse existimo, hæresin Phorini ante hæc tempora occidentali ecclesiæ, teste Baronio anno 344. num. 1. ad-

ANNO
 CHRISTI
 346.

huc incognitam, Euphratam tunc primum hausisse, primumque tunc Coloniae praedicasse, quando a Concilio Sardicensi & a legatione orientali reuersus Coloniae rediisset. Euphratam Christi diuinitatem negasse, cumque Phorino asseruisse, quod Filius Dei homo tantum, non Deus esset, acta Concilii huius aperte testantur. Photinus ante Concilium Sardicense ecclesiae catholicae nondum innouerat, sed (vt auctor est Epiphanius haeresi 71.) a praedicti Concilii patribus fidei suae rationem reddere iussus, paulo post condemnatus fuit. Vnde manifeste constat, Euphratam Photini sectatorem, non nisi post Concilium Sardicense haeresim praedictam accepisse, & didicisse, in occidente propagasse, ad palinodiam cantandam, auctore Seruatio, frustra admonitum, tandem communi occidentalium episcoporum sententia episcopatu abdicatum fuisse. Quid Euphratae in hac legatione obtigerit, his verbis enarrat Athanasius: *Conducit ille (Stephanus episcopus Antiochiae Arianus) publicam meretricem, eamque nudam per tenebras immittunt in ades Euphratae episcopi. Meretrix autem principio, quia credebat iuuenem esse a quo accerferetur, prompte sequebatur. Postquam autem ita destituta ab illis hominem dormientem, ignarum omnium intueretur, diligentiusque considerans senis vultum, & episcopi speciem animaduertit, statim clamorem edit, ac vim queritur. Illi contra eam orare, vt taceret, & falsum crimen episcopo concinnaret. Die igitur illucescente, vulgatur facinus, & vniuersa ciuitas concurrat: & qui in palatio erant rei admiratione commouebantur, neque eam silentio tradi volebant. Itur ad iudicium: leno prodit eos qui meretricem accerferant: illicque deinde auctorem istius rei Stephanum esse ostendunt: erant enim illius clerici, qui cum lenone conuenerant. Stephanus igitur episcopali dignitate exiuit, &c.* Theodoretus historiam prolixius recenset allegato loco.

Euphratae
 haeresis
 quae?

Ariani
 Euphratae
 pudicitiam
 tentantur.

⁴ Post consulatum Albini & Amantii.] Haec verba subreptitia, aut saltem mendosa esse, haec rationes satis probabiliter ostendunt. Primo: annus praedicta consulari nota simpliciter notatus coincidit in annum Christi trecentessimum quadragesimum sextum, qui immediate Concilii Sardicensis tempora antecedit. Cum ergo, vt supra dixi in notis ad Conciliū Antiochenum III. neque Ariana neque Photiniana haeresis, quam Euphratas propugnauit, ante in occidentali ecclesia cognita fuerit, adeoque non nisi post Sardicense, anno nimirum Christi 350. vel 351. Colonienſe Concilium Maximini Treuirensis episcopi paulo post defuncti praesentia condecoratum, celebrari potuerit; simpliciter fatendum est, acta huius Synodi praedicta consulum nota vel omnino deprauate, vel saltem mendose, consignari. Secundo: post ea tempora, quibus sanctus Seruatius cum Athanasio de sententia Euphratae coram egerat, hanc Synodum Agrippinae celebratam fuisse, ex adscripto S. Seruati sui fragio manifeste constat. Cum igitur hisce episcopis duae tantum conueniendi occasiones oblatae fuerint: vna, cum Athanasius in exiliū relegatus, anno Domini trecentesimo trigesimo septimo, Treuiris

Nota con-
 sularis sur-
 reptitia ad-
 dita proba-
 tur.

An mendosa sit
prædicta
consulum
nota.

commoraretur: altera, cum Maximinus Treuirensis, & Seru-
tius Tungrensis episcopi, post Constantem magno omnium catho-
licorum luctu interfectum, a Magnentio tyranno in orientem ad
Constantium imperatorem ablegati, Alexandria ab Athanasio in
hospitium & communionem ecclesiasticam accepti fuissent. Cum-
que priore occasione Euphratas Agrippinensis de hæresi Photinia-
na, ut ea quæ supra dixi satis euidenter ostendunt, nondum diffama-
tus fuisset; necessario hac posteriore anno 350. conueniendi & collo-
quendi opportunitate oblata, de statu occidentalis ecclesiæ, Serua-
tium cum Athanasio, Alexandrinæ ecclesiæ post Gregorium inter-
fectum restituto, egisse oportuit. Quod si ita est, fieri non potest
quin prædicta consularis nota, qua principium huius Synodi consi-
gnatum est, vel plane surrepticia, vel saltem mendosa existat. Men-
dum irrepsisse facile sustinuerimus, si dicamus ea quæ post consula-
tum Albini & Amantii quarto vel quinto anno contigerunt, post
prædictum consulum primo dumtaxat anno mendose consignata
fuisse. Et quamquam temporibus istis ordinarii consules fastis ad-
scripti inueniantur, adeoque fere superuacaneum esse videatur
nominibus Albini & Amantii quartum aut quintum post eorum
consulatum annum denominare; tamen cum id non semel alias
factum fuerit, non vana coniectura idem hoc loco accidisse dici
potest. Anno quo Ephesinum Concilium celebratum fuit, Bassum
& Antiochum consules creatos fuisse constat; & tamen acta E-
phesini Concilii interdum reperiuntur annotata, *post consulatum
Theodosii imperatoris & Valentiniani*. Quid, quod in Africano
Concilio expresse præcipiatur, ut si vel currentis anni consula-
tus incertus, vel consulum tyrannorum nomina deleta fuerit, in
formatis literis scribendis præcedens adiungatur? Verba Cano-
nis hæc sunt: *Quod si adhuc eius anni pascha dies incertus est, ille
præcedens adiungatur: quomodo solet post consulatum in publicis ge-
stis adscribi*. Tertio, communi consensu receptum est, Seueri-
num episcopum Agrippinensem Euphratæ, postquam episcopali se-
de depositus fuisset, subrogatum esse. Hunc anno Christi 402.
quo sancti Martini episcopi vita defuncti anima ab angelis psallenti-
bus in cælum delata est, adhuc superuixisse, psallentium angelo-
rum voces, teste Seuero Sulpitio, audiuisse constat. Si itaque anno
Christi 346. primo post consulatum Albini & Amantii, Euphratæ
amoto substitutus fuisset, oportuisset virum tunc satis gradæuum,
& multis annis episcopali munere alibi functum, annis fere sexaginta
Agrippinensi ecclesiæ præfuisse. Quod meo iudicio fidem congruam
aliquo modo excedit. Ad hoc aliæ incommoda euitanda, sustineamus
quod supra mihi veritati maxime consentaneum esse visum fuit; nimirum,
Christi 350. vel 351. anno, post consulatum Albini & Amantii quarto
aut quinto, hanc Synodum Coloniae celebratam, in ea Euphratam ob hæresin
iuste depositum, atque in eius locum Seuerinum subrogatum fuisse.
Interim in re valde incerta doctiorum iudicio me lubenter submitto.
His ad extremum addo,

Seuerinus
quandiu
episcopa-
tum Agrip-
pinensem
reuerit?

ANNO
CHRISTI
346.

non valde a veritate alienum videri, duo in causa Euphratæ Concilia habita fuisse: vnum ipso anno Christi 346. qui inscribitur post consulatum Albini & Amantii: alterum, quod sentit Trithemius in Maximo anno Christi 375. sub Maximo Moguntinæ ecclesiæ episcopo. Secundum hanc sententiam dicendum foret, priori Maximinum Treuirensis, Lucium aut Martinum Moguntinum anno Christi 354. teste Baronio relegatum: Seruatium Tungrensium cum Amando Argentoratensi aliisque aliarum diocesium episcopis interfuisse, atque Euphratam calumniose forte denunciatum absoluisse; vel saltem ad palinodiam cantandam induxisse. Posteriori autem præsto fuisse Maximum Moguntinæ ecclesiæ episcopum, Seuerinum, aliosque episcopos, atque in ea Euphratam condemnatum, episcopatu amotum, Seuerinum autem substitutum esse. Hoc non vnus, sed plurium episcoporum suffragia indicare videntur: dum eum ab aliis episcopis iuste iudicatum fuisse aiunt. Vt autem ex duobus Conciliis compilator vnum fecerit, nouum non est. Sicut enim Arelatensis primi & secundi Concilii subscriptiones, ita Valsensis primi & secundi Canones confusos fuisse, partim supra in notis ad Conciliū Arel. I. diximus, partim infra in notis ad Valsensia Concilia dicemus. Constitutis itaque duabus in causa Euphratæ episcopi Synodis Colonienfibus, sciendum est (quod vnum tamen aliquo modo obstat) nimirum, quomodo Euphratas turpi nota infamiæ iniustus, a patribus Sardicenfis Concilii dignus habitus fuerit, quem ad Constantinum in causa restituendi Athanasii ablegatum, Constantius imperator epistola sua tantopere commendarit. Ad id diluendum optime dicit posset; quod, sicut Marcellus Ancyranus Constantinopoli de hæresi Pauli Samosatani, Eustathius Antiochenus de Sabellianismo calumniam patiebatur Eusebianorum, ita Euphratas ob Photini hæresin denunciatus, in Confessu vicinorum Galliarum episcoporum, fidem integre & sincere confessus, nullam nominis & famæ iacturam fecerit.

Duo in
causa Eu-
phratæ
Concilia
habita esse,
non impro-
babile est.

Diluitur
obiectio.

Acta huius Concilii integra recitantur ab Hartgero abbate Lobienfi, quem edidit Ioannes Chapeauille tom. 1. pontif. Tungrensium capite 24.

^c *Dyscolius.*] Hunc Dyscolium, quem Demochares sextum facit sedis Rhemensis episcopum, non episcopum, sed vel chorepiscopum vel titulare tantum extitisse, ideoque catalogo Rhemensium episcoporum non esse addendum, reuerendus D. Georgius Coluenerius sanctæ theologiæ doctor, & regius ac ordinarius in academia Duacensi professor, ecclesiæ sancti Petri præpositus, probari putat: Primum ex testamento B. Remigii capite 18. quod duobus locis indicat, non esse plures quam nouem Rhemenses episcopos, qui S. Nicasium præcedant. Secundo ex epistola Ebonis ad Balduinum Ferreum Flandriæ marchionem, quæ extat apud Molanum in natal. SS. Belgii 14. Octobris, in qua diserte scribit B. Donatianum septimum fuisse Rhemensis sedis episcopum. Tertio ex epistola quadam Hincmari quæ extat inter eius opuscula in biblio-

theca patrum, nouissime Coloniae edita, qua S. Remigium vocat ANNO
decimum quintum Rhemorum episcopum. CHRISTI
346.

Sed necdum satis probatum esse sentio, cur per allegatas ratio-
nes in Synodo Agrippinensi nominatus Dycolius magis quam
alius quisquam antecedentium vel subsequendum episcoporum
e numero eorum sit expungendus.

Legatio
Seruatii
ad sedem
apostoli-
cam de fide
suspecta.

⁶ *In eodem, &c.*] Hæc quæ de legatione Seruatii ad sedem apo-
stolicam a Surio adiecta fuerant, suspectæ fidei sunt; tum quod ne-
mo scriptorum huius legationis a Seruatio obitæ meminerit, tum
quod Exuperium Tolosanum episcopum, qui hic nominatur, sub
Theodosio, anno Christi 394. vixisse constat. Baronius anno 346.
num. 9.

